

#### Nr. 1

- a) Serv. *Aen.* 1, 24 AD TROIAM ‘ad’ et ‘apud’ accusativae sunt praepositiones, sed ‘apud’ semper ‘in loco’ significat, ‘ad’ et ‘in loco’ et ‘ad locum’, ut «ad quem tum Iuno supplex his vocibus usa est» [Verg. *Aen.* 1, 64], et Cicero «**decem fiscos ad senatorem quendam relictos**» item «**ad Marcum Laecam** [M’ Lepidum *Cic. codices*] **te habitare velle dixisti**» [Cic. *Catil.* 1, 19].  
Cic. *Verr.* 1 22 fiscos compluris cum pecunia Siciliensi a quodam senatore ad equitem Romanum esse translato; ex his quasi **X fiscos ad senatorem illum relictos** esse, comitiorum meorum nomine  
b) Pomp. *GL V* 273, 17-21 tamen omnes antiqui et idonei et firmi auctores iunxerunt quasi in loco, «**prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis**» [*Aen.* 1, 24]; in Cicerone «**decem fiscos ad senatorem illum relictos**», «**ad Marcum Lecam te habitare dixisti**».  
c) Cled. *GL V* 77, 4-7 ‘ad’ vero et in loco et ad locum significat: nam dicimus et ‘ad amicum sum’ et ‘ad amicum vado’, sicut etiam Tullius posuit in prima actione «**decem fiscos ad senatorem illum relictos**», item ipse in investivis «**ad M. Lecam te habitare velle dixisti**».  
d) *Expl. in Don.*, *GL IV* 517, 16-22 De accusativis praepositionibus ‘apud’ et ‘ad’ sollicite ponere debemus: ‘ad’ tunc ponenda est, quando ad locum significamus, ut ‘ad amicum vado’; ‘apud’ tunc, quotiens in loco esse significamus, ut ‘apud amicum sum’. Quamquam habemus exempla, quibus recte ponamus ‘ad’, quotiens significamus in loco, ut «**prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis**», et «**ad Marcum Laecam te habitare velle dixisti**».  
f) Serv. *GL IV* 419, 5-8 nam ad adlocum significant, ut ‘ad patrem vado’, apud vero in loco, ut ‘apud parentem suum’. Sed ‘ad’ non numquam auctoritate etiam in loco reperitur, ut «**decem fiscos ad senatorem illum relictos**», et apud Maronem «**ad Troiam pro caris gesserat Argis**» [*Aen.* 1, 24].  
g) Arus. p. 9, 1-12 Di Stefano [= *GL VII* 451, 26 – 452, 4] ‘Ad’ et ‘apud’ confuse ponit Virg. *Aen.* I [24] Prima quod ad Troiam pro caris gesserat Argis». Idem *Aen.* XI [288] «Quicquid apud durae cessatum est moenia Troiae», Ter. *Adel.* [512-513] «ego Mitonem si ad forum est / conveniam». Idem *Andria* [302] «Apud forum modo e Davo audivi». Cic. *pro Roscio* [*Rosc. Amer.* 44] «Ac tantummodo aleretur ad villam». Ter. *Adel.* [517] «Apud villam est», Sal. Iug. [101, 6] «Ibi Latine - nam ad Numantiam loqui didicerat – exclamat. ‘Ad’ quidam pro ‘iuxta’ vel ‘circa’ poni dicunt *Siciliensis* exemplo «Statim Romae et ad urbem quaerere et agitare cum suis coepit» [Cic. *Verr.* II 5, 17], id est ‘in urbe et profectus iam iuxta urbem’. Sed gravius his adfertur exemplum *primae actionis in Verrem*: «**Ex his quasi decem fiscos ad senatorem illum relictos**».

#### Nr. 2

- a) Serv. *Aen.* 1, 176 RAPVITQVE IN FOMITE FLAMMAM paene soloecophanes est; nam cum mutationem verbum significet, ablativo usus est. Sed hoc solvit aut antiqua circa communes praepositiones licentia, ut est «conditus in nubem», contra «et nota conduntur in alvo», item «saeva sedens super arma» et «geminiae super arbore sidunt». Cicero «**quod ille in capite ab hostium duce acceperat**», item «**et si fortes fueritis in eo, quem nemo sit ausus defendere**». Aut ‘rapuit’ raptum fecit flammam in fomite, id est celeriter.  
Cic. *Verr.* II 5, 3 simul et de illo vulnere **quod ille in capite ab hostium duce acceperat** multa dixit  
b) Arus. p. 16, 2-3 Di Stefano [= *GL VII* 456, 12-13] Accepit in illa re. Cic. *de supplicis* «De eo vulnere multa dixit, **quod ille ab hostium duce in capite acceperat**».  
c) [Aug.] *Reg.* 8, 20, p. 139, 15-18 Martorelli [= *GL V* 523, 31-36] Sic namque de hac adverbiorum ratione purgatur et illud in *Verrinis*, «**quod ille in capite ab hostium duce acceperat**»: ergo vulnus directum in caput et acceptum in capite. Numquid ‘quo accipis vulnus’ dicimus? Sed ‘ubi accipis’.  
Cic. *Verr.* II 1, 3 Neque enim hoc a vobis populus Romanus exspectat neque eo potest esse contentus, si condemnatus sit is qui adesse noluerit, et **si fortes fueritis in eo quem nemo sit ausus defendere**.

- d) Serv. *GL IV* 419, 27-36 ‘in’ ‘sub’ ‘super’ et ‘subter’ et accusativae sunt et ablativae; sed apud maiores nostros indifferenter ponebantur, id est nulla lege servata. nam et Virgilius dixit «**rapuitque in fomite flammam**» pro ‘in fomitem’, et Horatius [Naso] «destrictus ensis cui super impia / cervice pendet» pro ‘super cervicem’ [Hor. *carm.* 3, 1, 17-18], et Cicero «**si forte in eo quaeritis**» pro ‘in eum’, et similia. Verum tamen aetas posterior ‘super’ et ‘subter’ accusativas fecit.  
e) Pomp. *GL V* 275, 17-35 Sunt etiam aliquae praepositiones quae communes vocantur, eo quod nunc accusativo serviunt, nunc ablativo. Sunt autem istae, ‘in’ ‘sub’ ‘super’ et ‘subter’. Hae apud maiores nostros sine aliqua ratione ponebantur. Quando placebat, dicebant ‘eo in foro’, dicebant ‘eo in forum’ pro arbitrio suo. huius rei extant exempla innumerabilia, quod quadam licentia utentes, quando volebant ad locum, quando volebant in loco, ponebant easdem praepositiones, ut puta «**rapuitque in fomite flammam**». [...] In Cicerone etiam miliens, «**si fortes fueritis in eo quem nemo sit ausus defendere**», pro eo quod est ‘fortes in eum’.  
f) Prisc. *GL III* 264, 1-7 est idem Verres, qui fuit semper, ut ad audendum proiectus, sic paratus ad audiendum --- nam si id fecisset, quod statuerat, ut non adesset, minus aliquanto quam mihi opus esset, cognosceretur, quid ego --- elaborassem, vestra vero laus tenuis --- esset, si condemnatus sit is, qui adesse noluerit, et **si fortes fueritis in eo, quem nemo sit ausus defendere**.

#### Nr. 3

- a) Serv. *Aen.* 1, 2 ITALIAM ars quidem hoc exigit, ut nominibus provinciarum praepositiones addamus, civitatum numquam. Tamen plerumque perverso ordine lectum est; nam ecce hoc loco detraxit provinciae praepositionem dicens ‘Italiam venit’ pro ‘ad Italiam venit’. Tullius in *Verrinis* «**ea die Verres ad Messanam venit**» pro ‘Messanam venit’.  
Cic. *Verr.* II 5, 160 **eoque ipso die casu Messanam Verres venit**  
b) Cled. *GL V* 64, 32 – 65, 6 Nomina civitatum quando significant, locum non demonstrant. nam si locum demonstrant, adverbium faciunt, ut ‘Cretae iussit considerare Apollo’. Ut Cicero ‘**ad Messanam**’ pro ‘Messanam’, Vergilius ‘Tyria Carthagine qui nunc / expectat’ pro ‘Carthagini’. Antiqui autem alia consuetudine utebantur: et civitatibus praepositiones iungebant et provinciis detrahebant versa vice, ut Vergilius ‘**Italiam fato profugus**’ pro ‘ad Italiam’, quod rectius nos civitatibus demimus, provinciis applicamus  
c) *Expl. Don.* *GL V* 511, 28-34 sed plerique nominibus civitatum iunxerunt praepositiones, ut Cicero «**ad Messanam venit**»; et de loco, ut Salustius «nam tum Brutus ab Roma aberat» [Sall. *Catil.* 40]. Sed, ut diximus, haec quae usurpata sunt sola contra artem admittenda sunt, non ex eorum exemplo etiam cetera. Sed et provinciarum nominibus quamquam dixerimus arte praepositiones iungi [non posse], contrarium tamen usurpavit auctoritas, «**Italiam fato profugus Laviniaque venit litora**».  
d) *Ars Ambrosiana* 142, 499-500 Löfstedt Sed hoc confundit auctoritas pro necessitate metri, ut apud Salustium «cum Brutus a Roma aberat»; Cicero autem dicit «**eadem die Verres ad Messanam venit**». Cfr. ‘Serg.’ *Comm. Don.* pp. [59], 18 – [60], 1 Stock Verum est, quod dicit Donatus: nominibus civitatum non addimus praepositiones, ut puta ‘Roma venio’ et reliqua. Sed hoc confundit auctoritas: nam Sallustius dixit «cum Brutus a Roma aberat».

Cfr. Cic. *Att.* 7, 3, 10 Venio ad ‘Piraeae’, in quo magis reprehendendus sum quod homo Romanus ‘Piraeae’ scripserim, non ‘Piraeum’ (sic enim omnes nostri locuti sunt), quam quod addiderim <‘in’>; non enim hoc ut oppido praeposui sed ut loco; et tamen Dionysius noster et qui est nobiscum Nicias Cous non rebatur oppidum esse Piraeae. Sed de re videro.

#### Nr. 4

- a) Serv. ORE LEGAM: *muliebriter, tamquam possit animam sororis excipere et in se transferri*. Sic Cicero in *Verrinis* «**ut extremum filiorum spiritum ore excipere liceret**»  
Cic. *Verr.* II 5, 118 quae nihil aliud orabant nisi **ut filiorum suorum postremum spiritum ore excipere liceret**.  
b) Quint. *Inst.* 9, 4, 107 sed hic est illud inane, quod dixi: paulum enim morae damus inter ultimum atque proximum verbum, et ‘turpe’ illud intervallo quodam producimus: alioqui sit exultantissimum

et trimetri finis: «quis non turpe duceret?» [Cic. *Phil.* 2, 63] sicut illud «**ore excipere liceret**» si iungas, lascivi carminis est, sed interpunctis quibusdam et tribus quasi initiis fit plenum auctoritatis.

c) Non. 4, p. 454, 29 – 455, 2 [= p. 293 M.] «Excipere est suscipere. Vergilius *Aeneidos* lib. III [317]: ‘heu! quis te casus delectam coniuge tanto excipit?» [Verg. *Aen.* 3, 317]. M. Tullius in *Verrem, de suppliciiis*: ‘**filiorum suorum postremum spiritum ore excipere liceret**’.

d) Martian. *Nupt.* 5, 504 Commoventur igitur auditores aut miseratione aut odio aut invidia aut metu aut spe aut ira ceteris que similibus. Miseratione, cum calamitates alicuius magno dolore tractamus, cum iniquitatem temporis vel periculi magnitudinem memoramus, ut in septima *Verrinarum*: «patres hi, quos videtis, iudices, iacebant in limine primo, matresque miserae pernoctabant ante ostium carceris, ab extremo conspectu liberum exclusae, quae nihil aliud orabant nisi **ut filiorum suorum postremum spiritum ore excipere liceret**».

#### Nr. 5

a) Serv. *Aen.* 6, 275 TRISTIS severa, quae gignit severitatem. Cicero «**iudex tristis et integer**».

b) Serv. *Aen.* 6, 374 SEVERVM tristem: et haec reciproca sunt, ut contra «**iudex tristis et integer**», id est severus.

Cic. *Verr.* I 30 P. Sulpicius, **iudex tristis et integer**, magistratum ineat oportet Nonis Decembribus

c) Don. *Ter. Andr.* 857 TRISTIS ad laudem interdum sumitur, non ad amaritudinem ‘tristis’. Cicero «**iudex tristis et integer**».

#### Nr. 6

Serv. *Aen.* 2, 16 AEDIFICANT, translatio a navibus, ut Cicero «**navem tibi aedificatam esse Messanae**»

Cic. *Verr.* II 2, 13 C. Heium, iuratum dicere audistis isti **navem onerariam maximam Messanae esse publice coactis operis aedificatam**.

#### Nr. 7

Serv. *Aen.* 5, 49 NISI FALLOR non quasi nescius dixit, sed propter anni confusionem quae erat apud maiores. Nam **ante Caesarem**, qui nobis anni rationem composuit quam hodieque servamus, **intercalabantur decem dies, ut etiam in Verrinis legimus**, scilicet lunae non congruente ratione. Annum autem primo Eudoxus, post Hipparchus, deinde Ptolomaeus, ad ultimum Caesar deprehendit.

Cic. *Verr.* II 2, 129 **Est consuetudo Siculorum ceterorumque Graecorum**, quod suos dies mensisque congruere volunt cum solis lunaeque ratione, **ut non numquam**, si quid discrepet, **eximant unum aliquem diem aut summum biduum ex mense, quos illi exaeresimos dies nominant; item non numquam uno die longiorem mensem faciunt aut biduo**. Quae cum iste cognosset novus astrologus, qui non tam caeli rationem quam caelati argenti duceret, eximi iubet non diem ex mense, sed ex anno unum dimidiatumque mensem hoc modo ut, quo die verbi causa esse oporteret Idus Ianuarias, is eo die Kalendas Martias proscribi iuberet: itaque fit omnibus recusantibus et plorantibus. Dies is erat legitimus comitiis habendis.

#### Nr. 8

Serv. *Aen.* 12, 352 NEC EQVIS ASPIRAT ACHILLIS ‘adspirat’ apud maiores ‘accedit’ significat: Cicero «**numquam adspiravit ad curiam**». Sed hic figurate dixit ‘adspirat equis’ pro ‘ad equos’, id est occisus est nec ad equos Achillis accessit. Melius tamen est ut de Diomede intellegamus, ut sit sensus: Diomedes occidit Dolonem, qui equos Achillis ausus est petere, quos nec ille qui eum vicit, poposcit.

[Cicero in *Pisonem*: Murgia – Kaster *ex codd. fam.* Δ, om. Thilo – Hagen]

Cic. *Verr.* II 2 76 quando autem homo tantae luxuriae atque desidiae nisi Februario mense **aspirabit in curiam?**

Cic. *Pis.* 11 non modo, inquam, **ad eum** cui primam comitiis tuis dederas tabulam praerogativae, quem in senatu sententiam rogabas tertium, **numquam aspirasti**.